



~~Ed. 67~~ nicht versilmbaar

M) Gymnasium, Joh. Jas.

nebst 21-46)

Ed. 67  
nicht weiter versilmbaar  
nicht PK

(30) = MF

Pfatz. Wappen 215)

12

THESES  
DE EVANGELIO.

Ad quas,  
DEI GRATIA ET AVXILIO IN  
Academia Argentoratensi

Præside,  
ERASMO MARBACHIO D.

Respondebit  
M. PAVLVS ALBERVS HAYNENSIS  
MISNICVS.

Ed 67

22 & 29 Ianuarij.



ARGENTORATI  
Excudebat Antonius Bertramus Anno  
M. D. LXXXVI.



Erasmus Marbach

v

DE EVANGELIO

Ad quos

DEI GRATIA ET AVXILIO

in Agrippina

Præfide

ERASMUS MARBACH

1540

AGRIPIÆ

1540

1540

AGRIPIÆ  
1540



## THESES DE EVANGELIO.

I.



Condidit DEVS hominem ad imaginem suam  
sapientem, sanctum, beatum.

II.

Sapientem, quod ipsum rectè agnoscebat, quæ  
summa sapientia: & animantium vt aliarum rerum natura  
norat: vnde nomina ipsis conuenientia imposuit.

III.

Sanctum, quod voluntas eius recta cum sancta volunta-  
te DEI creatoris congruens, & cor quoque rectum ar-  
dens sincera dilectione DEI & proximi

III.

In qua sanctitate si ad extremum vsque constanter per-  
mansisset, iustus quoque coram DEO euasisset.

V.

Beatum, quod nullis malis & calamitatibus obnoxius: &  
DEVM fauentem & propitiū habebat, qui omnes ipsius  
actiones prosperare, & transacto animalis vitæ curriculo  
ad spirituales vitam transferre volebat.

VI.

At vero cum homo in peccatum prolapsus, imaginem  
istam in qua conditus fuit, amisit.

VII.

Non enim nunc sapiens: quod mens illius in rebus diuis-  
nis cœca, vt quæ spiritus Diuini sunt & salutem æternam  
concernunt non intelligat: in humanis etsi aliquid videat,  
tamen hoc ipsum difficulter comprehendit, & sæpè non  
nisi multiplici errore inuolutum.

VIII.

Non sanctus, quod voluntas illius à DEO auersa, & ad  
malum tota propendet & inclinatur.

IX.

Non beatus, quod DE I gratiam perdidit, & sub Diaboli mortis & inferorum potestatem venit, obnoxius factus huius & futuræ vitæ pœnis.

X.

Ex qua miseria nec seipsum eruere, nec ab vlla creatura quantumuis sancta liberari poterat.

XI.

Cum enim effugiendi locus nullus esset: necessarium erat vt satisfaceret vel ipse vel qui liberare eum volebat

XII.

At ipse quo satisfaceret non habebat, DEO animo & corpore totus obstrictus.

XIII.

Alia autem creatura vtpote Angelica satisfactionem talem præstare non poterat, quam DE I iustitia vt precium pro infinita offensa admitteret.

XIIII.

Satisfaciendum enim, aut subiacendo pœnæ æternæ: sic autem quia nulla plena fuisset satisfactio, nūquam etiam homo in gratiam cum DEO rediisset & absolutus esset: quod diuina iustitia non permisisset non facta debita compensatione.

XV.

Aut subeundo pœnam temporalem & huiusmodi, quæ æternæ pœnæ æquiualens esset: at præstare talem nudæ nullius creaturæ opus.

XVI.

Cum ergo nec seipsum iuuare, nec ab alia creatura auxilium habere poterat, pereundum ipsi erat: at DEVS ex ingenti misericordia perire eum nolēs, istud in arcano consilio decretum fecit: vt ipse Filius secunda persona Diuinitatis satisfactionem in se susciperet, quam in assumpta natura humana præstaret.

XII

XVII.

Vt hoc pacto per quem conditus esset homo, per eundem redimeretur, & in integrum restitueretur.

XVIII.

Oportebat enim diuinæ & humanæ naturæ participare, qui pro pœna satisfaceret.

XIX.

Humanæ, vt pati & mori posset: & quod iustitię diuinę ratio postulabat, vt homo qui peccauit pœnā persolueret.

XX.

Diuinæ, vt passio & mors infiniti meriti esset, ideoque æquiualens *λύτρον* pro compensatione æternæ pœnæ ac mortis, quam inobedientia sua homo commeruerat.

XXI.

In quo admirandum iustitiæ & misericordiæ diuinæ temperamentum cernitur.

XXII.

Ineffabilis enim misericordiæ & bonitatis, DEVM antequam perire concedat hominem vnigenitum Filium in carnem mittere, qui mortem pro eo oppetat.

XXIII.

Summæ iustitiæ, non parcere dilectissimo Filio se vadem pro homine offerenti.

XXIII.

Quod admirabile bonitatis suæ decretum non absconditum habuit homini, sed reuelauit, facta statim post lapsum promissione hac dulcissima: Semen mulieris conteret caput serpentis.

XXV.

Qua significatum, venturum aliquando hominem, qui diuina potentia & virtute regnum Satanæ destruat, & placato DEO vitam & iustitiam restituat.

XXVI.

Et hac voce primi parentes qui de salute iam desperarant

ignari quo se verterent se rursus crexerunt & sustentant.

XXVII.

Quod etiam à sequentibus Patriarchis factum, apud quos hæc promissio mansit licet apud alios obscurata, & tota propemodum extincta fuerit.

XXVIII.

Nec satis habuit semel tantum hanc promissionem edidisse: sed repetiuit ad Abrahamum & Iacobum dicens: in femine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.

XXIX.

Nec verbis solum repetiuit, sed multis insuper aptis & conuenientibus typis ac figuris declarauit.

XXX.

Ad hæc prophetarum concionibus magis explicauit & illustrauit & confirmauit notatis circumstantiis loci, temporis, personarum.

XXXI.

Sic subinde clarius repetiit & tandem quod promisit cumulatiuè præstitit, misso Christo Seruatore, qui seipsum in ara crucis in *λύτρον* redemptionis offerens plenè DEO pro peccatis nostris satisfecit.

XXXII.

Quæ promissio eiusdemque adimpletio rectè Euangelium dicitur: cum nihil gratius & lætius esse possit & debeat gratia & fauore, quem DEVS homini in Christo Filio dilectissimo clementissimè offert & exhibet.

XXXIII.

Et pactum nouum respectu legis: quam menti humanæ impressam si seruasset homo vere beatus euasisset.

XXXIII.

Id vero non vllis nostris operibus aut meritis nititur: sed prorsus gratuitū est, in sola DEI misericordia acquiescēs.

XXXV.

Si enim nostris operibus aut meritis niteretur, nunquam  
firmum



firmum ac ratum esset: quod nunquam huiusmodi opera  
facimus, quæ cum norma voluntatis diuinæ congruant,  
& pro bonis agnosci & haberi possint

XXXVI.

Et si huiusmodi conditionem haberet, non differret à  
priori pacto, quod salutem æternam quoque promittit,  
sed cum conditione præstitæ obedientiæ.

XXXVII.

Nec opus fuisset nouo pacto, si etiam illius promissiones  
impletionem legis requirerent, nec sine ea ratæ essent.

XXXVIII.

Quod autem fidem requirit, non requirit tanquam cau-  
sam aut meritum: sed vt organum & instrumentum, quo  
salutem quæ in Christo offertur apprehendi & applicari  
oportet.

XXXIX

Vt enim Eleymosina non pendet ex porrectione manus,  
etsi inuito & repugnantem non potest donari: sic quoque  
salus in Christo oblata non ex dignitate fidei dependet,  
quamuis illius non nisi fide fiamus participes.

XL.

Et est hoc pactum vt gratuitum, ita quoque vniuersale ad  
omnes homines pertinens, cuiuscunque sint gentis, æta-  
tis, sexus, conditionis.

XLI.

Non enim apud Deum distinctio, vt ait Apostolus, Iudei  
& Græci: idem Dominus omnium diues in omnes qui  
inuocant ipsum.

XLII.

Et licet Iudaicum populum in veteri Testamēto in suum  
populum suscepit: non tamen ita suscepit, vt à promissio-  
ne gratiæ alias gentes excluderet.

XLIII.

Nec enim humanitatem in peregrinos tam diligenter

A 4

mandasset, si non ipsas quoque gentes se illi associare & salutis æternæ confortes fieri voluisset.

XLIII.

Quin ideo clarum & illustrem stupendis miraculis fecit, vt omnes gentes scirent hunc verum DEVM esse qui se huic populo patefecerit: & hunc verum illius cultum, qui ipsi á Moyse præscriptus sit: atque ideo hunc solū DEVM colendum, & colendum eo modo, quo se coli præceperit.

XLV.

Hinc Profelyti, qui ex aliis gentibus orti ad populum Israeliticum transfabant, cultum & religionem eorum amplexi.

XLVI.

Sic itaque præ aliis suscepit populis, vt custodem esse vellet veræ doctrinæ lucis suæ radios longè lateq; spargētis.

XLVII.

Et propterea Apostolus ducem cæcorum, lumem eorum qui in tenebris sunt, doctorem insipientum, magistrum infantum vocat.

XLVIII.

Sed hæc illius prærogatiua tantum vsque ad Christum, qui singulari quoque priuilegio nasci ex eo voluit, durauit: quo veniente vt legalis cultus cessare, ita ipsius populi cui traditus & præscriptus erat electio finem habere: ac proinde tam inter gentes quam Iudeos verus DEI cultus institui & pariter omnibus commendatus esse debuit.

XLIX.

Quamobrem Christus Apostolos in mūdum vniuersum misit ad prædicandum Euangelium omni creaturæ.

L.

De qua gentium vocatione & gratiosa Euangelij prædicatione passim Prophetæ concionantur:

LI.

Conuenit hoc pactum seu Enangelium cum lege: quod  
vtrumq;

utrumque DEVM authorem habet : & de iustitia agit vitamq; promittit; sed rursus ab eodem plurimum differt.

LII.

Nam lex post lapsum obscurata quidem; non tamen prorsus deleta: sed aliquę illius scintille manserunt omnibus natura ingeneratę & cognite. At Euangelium non nobiscum nascitur, nec sagacitate vlla deprehenditur: sed mysterium absconditum est à Filio DEI reuelatum.

LIII.

Et lex propriam iustitiam requirit, sub cuius conditione vitam & omnia bona spiritualia & corporalia promittit, Euangelium vero alienam iustitiam offert: & hæc ipsa bona promittit, sed prorsus dissimili ratione.

LIII.

Etenim spiritualia & æterna bona, vt remissionem peccatorum, donationem Spiritus S. & hereditatem vitæ æternæ gratis offert, & ex æquo omnibus ad Christum mediatorem confugientibus, sine vlla conditione suorum meritorum & dignitatis propriæ: imò sine vlla exceptione morę, nisi quoad eorum consummationem.

LV.

Corporalia vero bona promittit etiam gratuito iam reconciliatis habentibus inchoatam obediētiam in remunerationem: promittit autem cum exceptione crucis & castigationis, & vt expectentur iuxta consilium & beneplacitum DEI.

LVI.

Et lex occidit & mortificat, non proprio effectu sed aduentitio: ad vitam enim nō ad mortem data: verum quia non iustitiam sed peccatum in nobis inuenit proprium effectum exerere non potest: & propterea alienum exercet, & ad mortem ac condemnationem nos addicit.

LVII.

At Euangelium viuificat per remissionem peccatorum,  
Spi

Spiritum quē S. donat, qui corruptam naturam à peccato repurgat, & nouam obedientiam inchoat placentem DEO propter christum.

LVIII.

Et ut lex Euangelio prior: ita quoque prædicationē Euangelij antecedere debet. Non enim medicina rectè adhiberi potest, nisi morbum æger agnoscat, medicinamque expectat.

LIX.

Sic lex proponenda Epicureis & impœnitentibus: qui DEVM & salutē suam non curant: & hypocritis, qui inflati opinione propriæ iustitiæ turgent: ut cum illorum securitas, tum horum arrogantia voce legis arguatur, & monstrata impietate eorum ad quærendam DEI gratiam impellantur.

LX.

Euangelium vero annunciandum serio dolore agnoscentibus peccata & sentientibus magnitudinem iræ diuinæ: ut rursus erigantur, & consolationem ac spem vitæ æternæ concipiant.

LXI.

Alia igitur doctrina Euangelij à lege: attamen illi nõ contraria,

LXII.

Licet enim peccatores non damnet sed absoluat: non tamen absoluit nisi Christi meritum & satisfactio fide apprehensa fuerit.

LXIII.

Et quamuis non perfectam requirat obedientiam, sed inchoatam etiam placere DEO ostendat: tamen obedientiam illam vult proficisci ex fide perfectam Christi obedientiam amplectente, suaque perfectione imperfectiōnem illius tegente.

LXIII

LXIII.

Adeo itaque non est contraria legi, vt magis confirmet & stabiliat.

LXV.

Alia vero cum sit, non est cum lege confundenda, aut in legem transformanda.

LXVII.

Quod faciunt, qui patriarchas lege naturæ, Iudæos lege Mosaica, nos Euangelica lege saluari dicunt.

LXII.

At nec lex naturæ à lege Mosaica discrepat: nec Christus nouam legem tulit, quando vt piè viuendum sit docuit: sed veterem explicuit.

LXVIII.

Et cum lege Mosaica saluari non potuerint, quibus data erat: multo minus nos lege Euangelica maiorem & perfectiorem obedientiam requirente saluari possemus, si per eam saluari deberemus.

LXIX.

Nec enim minus natura nostra vitata & corrupta quam illorum: propter quam corruptionem vt non illi, ita nec nos DEO quam debemus præstamus obedientiam.

LXX.

Non ergo alia salutis consequendæ ratio vel nunc in nouo vel olim in veteri testamento fuit, quam ea quæ est per fidem in Christum.

LXXI.

Nec aliud est Euangelium, quam doctrina gratuite remissionis peccatorum, iustitiæ, viteque æternæ, donandæ propter Christum mediatorem omnibus in eum credentibus.

LXXII  
Ad hoc in dictione non est opus ut regit ut magister  
LXXIII  
Alia vero est quae non est hic tractanda sed  
legenda in forma  
LXXIV  
Quod dicitur in pariter de lege pariter  
Molitor nos in angustis legem salutem  
LXXV  
An hoc est ad hoc legem salutem  
LXXVI  
Et cum legem salutem non est hic  
etiam in dictione non est hic  
LXXVII  
Nec est in dictione non est hic  
LXXVIII  
Non est in dictione non est hic  
LXXIX  
Nec est in dictione non est hic  
LXXX  
Nec est in dictione non est hic









THESES  
VANGELIO.

Ad quas,  
TIA ET AVXILIO IN  
ademia Argentoratensi

Præside,  
MO MARBACHIO D.

Respondebit  
S ALBERVS HAYNENSIS  
MISNICVS.

22 & 29 Ianuarij.

Ed 67



ARGENTORATI  
at Antonius Bertramus Anno  
M. D. LXXXVI.

